

## Praedicatio in *Categoriis* Aristotelis

Kiioakius AKAI

### 1. *Distinctio inter dicta et entia*

Aristoteles quidem videtur conscius esse differentiae inter dicta (ta legomena) et entia (ta onta), sed, habendo persuasionem consensus entium cum dictis, videtur non habere dubitationem de hoc consensu. Quando igitur ille dicit de substantia in libro VII *Metaphysicorum*, videtur distinguere dicta ab entibus, sic dicens sic; "At primo dicemus quaedam de eo logice (logikos),....."<sup>1</sup> et "Oportet quidem igitur intendere, et quomodo oportet dicere circa unumquodque; non tamen magis quam quomodo habet (to pos echei)"<sup>2</sup> ut V. Décarie commemorat de hac distinctione<sup>3</sup>.

#### 1-1. *Modus essendi et modus dicendi*

Consensus autem entium cum dictis significat consensum modi essendi cum modo dicendi. Hunc quidem modum dicendi videtur principaliter tractare Aristoteles, sed tractat ens ipsum seu modum essendi utendo modo dicendi. Verbi gratia, quaecumque sunt praedicamenta (seu categoriae) significant vel aliqua entia vel aliquod modum essendi, sicut S.Thomas ait, "..... quot modis praedicatio fit, tot modis ens dicitur"<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> *Metaph.* 1029b13.

<sup>2</sup> *Metaph.* 1030a27-28.

<sup>3</sup> V. Décarie, *L'objet de la Métaphysique selon Aristote*, p.142, n.4.

<sup>4</sup> S.Thomas, *Expositio in XII libros Metaphysicorum*, L.V, lect.9, 893 et 890, "Unde oportet, quod ens contrahatur ad diversa genera secundum diversum modum praedicandi, qui consequitur diversum modum essendi; quia <quoties ens dicitur>, idest quot modis aliquid praedicatur, <toties esse significatur>, idest tot modis significatur aliquid esse".

In *Categoriis*, haec dicta (ta legomena) saltem dupliciter accipi possunt, quia quando Aristoteles dividit dicta in dictum secundum complexionem et dictum sine complexione<sup>5</sup>, haec dicta videntur significare et dicta ipsa, quae sunt nomina entium, et entia ipsa, quae dicuntur. Quaelibet autem significant "haec dicta", ille videtur intendere patenter tractare entia, quia ille videtur intendere tractare ens in quantum ens (on hei on) in libris *Metaphysicorum*<sup>6</sup> et ens secundum modum dicendi in *Categoriis*. Unde, speculanda est relatio significationis inter dicta et entia.

#### 1-2. *Significatio*

Si haec significatio accipiatur large, haec saltem dupliciter accipi potest secundum distinctionem inter dicta secundum complexionem et sine complexione. Primo enim dicta sine complexione videntur sic significare rem ipsam generaliter, ut nomen "homo" significat hominem ipsum ut rem ipsam. Secundo autem dicta secundum complexionem videntur sic significare statum rei, ut propositio: "homo vincit" significat statum rei. In primo exemplo, aliquis dicat quod verbum: "vincit" videtur non significare rem ipsam, sed statum rei, hoc relinquendum est ut problema<sup>7</sup>. Illa autem (dicta sine com-

<sup>5</sup> *Cat.* 1a16-17.

<sup>6</sup> *Metaph.* 1003a21.

<sup>7</sup> Secundum Porphyrium, in eius *Expositione* (p.87), si aliquis diceret "vivo" vel "pluit", ille intendit dicere quod "ego vivo" vel "Jupiter pluit", igitur haec sunt dicta secun-

plexione) videntur pertinere ad nominationem, et haec (dicta secundum complexionem) ad praedicationem. Dicta igitur secundum complexionem et sine complexione videntur aliqua significantia esse.

## 2. Nominatio et Praedicatio

In praecedente sectione, nominatio et praedicatio commemorabantur sine explicatione apta. Unde breviter explicandum est quid est nominatio et quid praedicatio. Generaliter enim "praedicatio" est translata ex Graeco "kategoria" et significat quod aliquid dicitur sive praedicatur de aliquo. "Nominatio" autem significat dare alicui aliquod nomen. Alicui igitur aliquod nomen datur, videtur esse res ipsa. Si ita esset, primo aliquid, cui aliquod nomen datur, habeat nomen, deinde aliquod nomen praedicetur de aliquo nomine. Et, considerando circa significationem, aliquid, cui aliquod nomen datur, significat aliquod nomen. Idest hoc aliquod nomen significat aliquid, idest rem ipsam.

Nominatio igitur videtur pertinere ad dicta sine complexione. Quando enim Aristoteles ait, "ea vero quae sine complexione dicuntur sunt, ut homo, bos, currit, vincit"<sup>8</sup>, ille videtur dicere hanc nominationem. Praedicatio autem videtur pertinere ad dicta secundum complexionem, idest propositiones. Et autem in nominatione et in praedicatione, Aristoteles videtur uti hac expressione "kath' hypokeimenou legesthai". Si nunc "hypokeimenon" est "X", dici potest quod de "X" dicitur. Igitur, in nominatione, hoc "X" est res ipsa quae non habet nomen. In praedicatione, autem, hoc "X" est nomen quod significat aliquem rem. Deinde, primo(2-1), explicantur praedicatio et nominatio, et secundo(2-2), explicatur de iis quae dicuntur sine complexione circa divisionem entium<sup>9</sup>.

dum complexionem. Contra hoc, secundum Ammonium, in eius *Commentario*(p.24), verba, ut "vivo" vel "pluit", sunt dicta sine complexione.

<sup>8</sup>Cat. 1a17-18.

<sup>9</sup>Cat. 1a20-b9.

### 2-1. Praedicatio et Nominatio

Res ipsa: substratum ← (1) Nomen: subiectum(substantia)

(1) Haec est Nominatio: Aristoteles videtur intendere hanc nominationem, dicens quod "kath' hypokeimenou legesthai". Verbi gratia, de hoc substrato, idest Sorte, dicitur "Sortes", idest nomen substrati, et hic Sortes, qui est res ipsa, est substantia particularis, et "Sortes" ut nomen est nomen substantiae particularis.

Nomen: subiectum(substantia) ← (2) Nomen: praedicatum(accidens)

(2) Haec est praedicatio generalis: In hac praedicatione, de subiecto, quod est nomen, dicitur praedicatum, quod est nomen. Verbi gratia, "Sortes est albus". In hac propositione, "albus" est praedicatum, et in aspectu existentiae, idest in re ipsa, "albedo" inhaeret Sorti, quod est substratum. Hic dicendum est quod albedo est inhaerens seu accidens in re ipsa, et quod "albedo" est nomen inhaerentis. "Albus" autem dupliciter accipi potest. Primo enim "albus" est res ipsa quae est alba, et haec res constat ex substrato et inhaerente, "albedine". Secundo autem "albus" est nomen rei ipsius quae est alba, idest nomen substantiae.

Res ipsa: inhaerens(in substrato)=accidens ← (3) Nomen: praedicatum

(3) Haec est nominatio accidentis: accidens, quod inest substrato, verbi gratia, "albedo", nominatur albedo.

Considerando praedicationem(2), notandum est quod "albus" oritur ex "albedine", sed "albedo" non oritur ex "albo". "Albedo" vero nomen abstractum est, et, primo aspectu, "albedo" videtur oriri ex "albo", hoc autem non verum est. Aristoteles enim ait, "apo tes grammatikes ho grammatikos kai apo tes andreias ho andreios"<sup>10</sup>, idest ex "grammatica" oritur "homo grammaticus", et ex "audacia" oritur "homo audax". Igitur "audax" et "grammaticus" sunt derivationes ex nominibus abstractis "audacia" et

<sup>10</sup>Cat. 1a14-15.

"grammatica". Iuxta hanc considerationem, "albus" est derivatio ex nomine abstracto "albedine".

## 2-2. De iis quae dicuntur sine complexione

Aliquis dicat quod<sup>11</sup> si entia, quae dicuntur ab Aristotele in quattuor genera, dicerentur sine complexione, haec expressio "kath' hypokeimenou legesthai" idest "de subiecto dici" non significat praedicationem(2), sed nominationem(1).

In hac opinione, ea quae in subiecto nullo sunt et de subiecto nullo dicuntur<sup>12</sup>, sunt substantiae quae non sunt nomina substantiarum sed substantiae ipsae. Et ea quae de subiecto dici possunt, sunt accidentia seu inhaerentia. Si enim haec non essent substantiae ipsae, haec de subiecto dici possunt. Haec igitur sunt non nomina substantiarum ipsarum, sed substantiae ipsae. Unde ea quae in subiecto sunt et de subiecto nullo dicuntur<sup>13</sup> sunt inhaerentia seu accidentia, quae non sunt nomina inhaerentium ipsorum seu accidentium ipsorum, sed inhaerentia ipsa seu accidentia ipsa. Ea quae autem in subiecto nullo sunt et de subiecto aliquo dicuntur<sup>14</sup> sunt nomina substantiarum. Quando enim aliquis ait, "hic aliquis homo est homo", ille nominat "hunc aliquem hominem" "hominem". Si haec esset substantiae ipsius, sequitur ut substantia ipsa "homo" dicitur de subiecto "hoc aliquo homine". Hoc autem videtur non verum esse, quia omnia quae de subiecto aliquo dici possunt sunt nomina substantiarum ipsarum seu inhaerentium ipsorum. Ea quae autem in subiecto sunt et de subiecto dicuntur<sup>15</sup> sunt inhaerentia seu accidentia, quae sunt

nomina inhaerentium ipsorum seu accidentium ipsorum, sed non inhaerentia ipsa seu accidentia ipsa.

Viso hac consideratione, quamvis Aristoteles videretur dividere ta onta, idest entia ipsa, in quattuor genera, ea quae de subiecto dicuntur sunt non entia ipsa, sed non entium ipsorum. Hoc videtur, primo aspectu, contradictorium esse ad hoc quod Aristoteles facit divisionem entium. Sed, si ille utiretur hac expressione "de subiecto dici" criterio distinctionis entium, haec expressio videretur bona esse, in quantum de criterio. Ex hoc tunc patet quod haec expressio "de subiecto dici" significat praedicationem. Et ea quae de subiecto aliquo dici possunt, sunt aliquo modo universaliora quam ea quae de subiecto nullo dici possunt. Haec significat particularia, et illa universalia. Nominatio igitur est singularis seu particularis. Ea quae sunt singularia, licet vel substantiae vel inhaerentia essent, nominari possunt. Ea quae tamen de subiecto aliquo nominari possunt, sunt nomina substantiarum seu inhaerentium, sed non substantiae ipsae seu inhaerentia ipsa.

Ex hoc patet quod quando ea quae in nullo subiecto sunt et de nullo subiecto dicuntur seu ea quae in subiecto sunt et de nullo subiecto dicuntur, nominatur, haec nominatur sine complexione. Nomina igitur eorum sunt dicta sine complexione. Et autem quod quando ea quae in subiecto nullo sunt et de subiecto dicuntur, non nominari naturaliter possunt, sed praedicantur, haec praedicantur de aliquo subiecto. Nomina igitur eorum sunt dicta secundum complexionem.

Si haec opinio sit vera, aliquid ton inton, quae Aristoteles posuit, dicitur sine complexione, idest nominatur, et aliquid aliud ton onton dicitur secundum complexionem, idest praedicatur de aliquo subiecto. Sed haec opinio videtur non vera esse, quia ta onta videntur dici uniformiter in textu Aristotelis. Ex necessitate igitur non contingit ut aliud ton onton dicitur sine complexione, et aliquid aliud secundum complexionem.

<sup>11</sup>井上忠, 「内属性」 p.221sqq.. Contra hanc opinionem Inoues, secundum Waitz(in suo Commentario, pp.272-273.), "ta onta Hegel putat opponi tois legomenois ("den subiectiven Beziehungen") dicens: "Diese onton ta men gehoren unter das Erste der Eintheilung(kata sumploken) - item Zell.(Uebersetzung des Organon. Stuttg. 1837, p.7) cap.2 et 3 Aristotelem de iis agere putavit, quae kata sumploken dicantur,.....".

<sup>12</sup>Cat. 1b3-4.

<sup>13</sup>Cat. 1a23-24.

<sup>14</sup>Cat. 1a20-21.

<sup>15</sup>Cat. 1a29-b1.

Intentio autem Aristotelis videtur esse hoc dicendum praecise quod nomina omnium entium dicuntur secundum complexionem. Nomina enim omnium entium non nominari uniformiter possunt, sed praedicari de aliquo subiecto possunt. In hoc loco, *Categoriis*, cap.2, considerando sola quae in subiecto sunt et de nullo subiecto dicuntur, et sola quae in nullo subiecto sunt et de nullo subiecto dicuntur, haec videntur nominari posse, sicut ad hunc modum quod T.Inoue interpretatur to hypokeimenon ut ante-dictum-positum, idest "sengen-sotei" in Iaponia lingua<sup>16</sup>. Sed hoc modo non explanari possunt ea quae de aliquo subiecto dicuntur et in nullo subiecto sunt et ea quae de subiecto dicuntur et ea quae in subiecto sunt. Secundum opinionem T.Inoues<sup>17</sup>, de hoc subiecto, idest ante-dictum-posito, verbi gratia, Sorte, qui est Sortes in quantum est res ipsa, praedicatur "Sortes", qui est nomen substantiae primae, idest Sortis ut rei ipsius. Et quando Aristoteles dicit quod<sup>18</sup> ea quae de nullo subiecto dicuntur et sunt in nullo subiecto, sunt, verbi gratia, "hic homo" vel "hic equus", hoc subiectum, idest ante-dictum-positum, est ens seipsum innominatum et, hic homo" vel "hic equus" significant haec entia seipsa, igitur haec non dicuntur de aliquo subiecto, sed nomina horum entium dici possunt de aliquo subiecto. Hic quidem modus dicendi videtur nominatio esse, sed T.Inoue intuetur hanc nominationem ut praedicationem<sup>19</sup>. Haec autem opinio videtur competere solis cum iis quae de nullo subiecto dicuntur. In hoc loco, igitur, Aristoteles videtur non intendere talem nominationem qualem T.Inoue intendit.

### 3. Praedicatio ut Criterium

#### Distinctionis Entium

Post praedicta de iis quae dicuntur sine complexione, restat dicere de praedicatione. Si enim modus dicendi accipitur large, hic videtur

habere duos modos, idest modum nominandi et modum praedicandi. Videntur autem diversae praedicationes esse.

#### 3-1. Diversae praedicationes

Diversorum modorum praedicandi sunt modus praedicandi simpliciter et modus praedicandi secundum accidens. Aristoteles enim explicat hos duos modos dicens sic; "est enim vere dicere album ambulare, et magnum illud lignum esse", haec sunt secundum modum praedicandi secundum accidens, "et iterum lignum magnum esse, et hominem ambulare", haec sunt secundum modum praedicandi simpliciter<sup>20</sup>. In modo secundum accidens "album" et "magnum illud" sunt subiecta quae non significant substantias per se. Primo igitur quaedam res (idest res alba), deinde hoc "album" ambulat secundum accidens. Et similiter de "magno illo". In modo simpliciter, autem, "lignum" et "homo" sunt subiecta quae significant substantias, sive, quid est, sive quod quid erat esse. Et "magnum" et "ambulare" sunt praedicata quae sunt quaedam accidentia quae opponitur subiectis. Ex quo patet quod hi modi praedicandi repraesentant relationem inter substratum et accidentia; idest accidentia inhaerent substrato. Aristoteles igitur ait, "Quaecunque vero non substantiam significant, oportet de alio subiecto praedicari, et non esse quid album, quod non cum alterum aliquod sit, album est"<sup>21</sup>.

Praeterea videntur esse alii modi praedicandi, idest praedicatio inter eadem praedicamenta, et praedicatio inter alia praedicamenta. Videntur enim poni posse hoc schema<sup>22</sup>:

Sortes → homo → animal · · · substantia

Sortes → albus · · · qualitas

Sortes → 3 cubita · · · quantitas

In hoc schemate, sagitta "→" significat directionem praedicandi, verbi gratia, "Sortes → albus" est "Sortes est albus", et "Sortes → an-

<sup>16</sup>井上忠, 「アリストテレスの言語空間」 p.292.

<sup>17</sup>井上忠, 「アリストテレスの言語空間」 p.292sqq.

<sup>18</sup>Cat. 1b3-4.

<sup>19</sup>井上忠, 「アリストテレスの言語空間」 p.292sqq.

<sup>20</sup>APo. 83a1-4.

<sup>21</sup>APo. 83a30-32.

<sup>22</sup>Idem schema invenitur in libro: 松永雄二訳『カテゴリーアイ』 p.169.

imal" est "Sortes est animal"<sup>23</sup>. Si enim de aliquo, ut "Sorte", idest in genere substantiae, aliud aliquid, ut "album", idest in genere qualitatis, praedicatur, haec praedicatio: "Sortes est albus" videtur repraesentare relationem inter subiectum "Sortem" et inhaerentem "albedinem". Si autem de aliquo, ut "Sorte", aliud aliquid, "homo", idest et in genere substantiae, praedicatur, haec praedicatio: "Sortes est homo" videtur repraesentare relationem inter substantiam primam et secundam. Et "Sortes" et "homo", quae sunt in eodem genere substantiae, significat quid est. Aristoteles enim dicit in libro *Topicorum* I, cap.9, sic;

Unumquidque enim eorum, si et ipsum de ipso dicitur, si et genus de genere, significat quid est. Quando autem de alio, significat non quid est, sed quantum vel quale vel aliquid aliorum praedicatorum<sup>24</sup>.

Ex quo patet quod hae praedicationes sunt secundum modum praedicandi simpliciter. Hae enim praedicationes videntur illustrari posse sic;

Praedicatio : (1) secundum modum praedicandi secundum accidens, ut "album ambulat", vel "magnum illud est lignum".

Praedicatio : (2) secundum modum praedicandi simpliciter, ut "homo ambulat", vel "lignum est magnum".

Praedicatio : (2) secundum modum praedicandi simpliciter : (2-1) praedicatio inter eadem praedicamenta, ut "Sortes est homo".

Praedicatio : (2) secundum modum praedicandi simpliciter : (2-2) praedicatio inter alia praedicamenta, ut "Sortes est albus".

### 3-2. Praedicatio ut criterium distinctionis entium

Visis diversis praedicationibus, harum praedicatione secundum modum simpliciter uti videtur Aristoteles dividens entia in quattuor genera et explicans quid est substantia<sup>25</sup>. Ille enim ait, "Supponatur ergo praedicatum praedi-

cari semper de quo praedicatur, simpliciter, sed non secundum accidens. Sic enim demonstrationes demonstrant"<sup>26</sup>.

Aristoteles igitur videtur uti praedicatione inter eadem praedicamenta distinctione inter particularia et universalia, sicut "Sortes est homo; homo autem est animal; Sortes igitur est animal", hae significant relationem inter singulare et speciem et genus, et haec omnia significant quid est, haec enim sunt in genere substantiae. Ille autem videtur uti praedicatione inter alia praedicamenta distinctione inter subiectum et accidentia, sicut "Sortes est albus", haec significat relationem inter subiectum et accidens. "Sortes" enim est in genere substantiae, et "albus" oritur ex "albedine", quae est inhaerens, et est in genere qualitatis. Si sic praedicatio secundum modum simpliciter accipitur, ut criterium distinctionis entium, idest distinctio inter particularia et universalia, sive, subiectum et accidentia, quaedam constantia significationis praedicationis videtur esse et in *Categoriis* et in aliis libris ORGANI<sup>27</sup>.

### Bibliographia

- Minio-Paluello, L., 1949. *Aristotelis Categoriae et liber De interpretatione*, Oxford.
- Ross, W.D. et L.Minio-Paluello, 1964. *Aristotelis Analytica Priora et Posteriora*, Oxford.
- Ross, W.D., 1958. *Aristotelis Topica et Sophistici Elenchi*, Oxford.
- Jaeger, W., 1957. *Aristotelis Metaphysica*, Oxford.
- Ross, W.D., 1949. *Aristotle's Prior and Posterior Analytics*, A rev. text with introd. and comm., Oxford.
- Ross, W.D., 1948. *Aristotle's Metaphysics*, A rev. text with introd. and comm., Oxford.
- Ackrill, J.L., 1963. *Aristotle's Categories and De Interpretatione*, Trans. with Notes and Glossary, Oxford.
- アリストテレス／田中美知太郎編, 1966. 『アリストテレス』(世界古典文学全集 16) 所収, 『カテゴリー

<sup>26</sup> *APo.* 83a18-21.

<sup>27</sup> Verbi gratia, J.Duerlinger, "Predication and Inherence in Aristotle's *Categories*" in *Phronesis*, XIV(1969), p.194. Secundum aspectum relationis inhaerentis, ille ait, "The traditional interpretation of the predication-inherence distinction, I believe, is not only possible, but it also enables us to see a continuity between the *Categories* and the other works in the Organon in which a distinction is made between essential and accidental predication".

<sup>23</sup> *Cat.* 1b10-15.

<sup>24</sup> *Top.* 103b35-39.

<sup>25</sup> *Cat.* 2a11-14.

アイ』(松永雄二訳),『命題論』(水野有庸訳), (筑摩書房).

・ Busse, A. 1887. *Porphirii Isagoge et In Arist. Cat.* Comm. in Arist. Graeca, IV-1, Berlin.

・ Busse, A. 1887. *Ammonii In Arist. Cat.* Comm. in Arist. Graeca, IV-4, Berlin.

・ Boethii in *Cat., Arist. libri quatuor*, Patrologia Latina, Vol.64.

・ Spiazzi, R.M., 1950. *S.Thomae Aquinatis, In XII libros Metaphysicorum Arist. Expositio*, cura et studio, Taurini-Romae.

・ Waitz, T. 1844-6. *Organon Graece*, Leipzig.

・ Décarie, V., 1972. *L'objet de la Métaphysique selon Aristote*, Montreal-Paris.

・ 井上忠, 1980. 「アリストテレスの「存在」把握」, 「実体と内属性」, 「内属性」, 『哲学の現場』所収, (勁草書房).

・ 井上忠, 1974. 「アリストテレスの「有」把握」, 「アリストテレスの言語空間」, 『根拠よりの挑戦』所収, (東大出版会).

・ Owen, G.E.L., 1965. "Inherence", *Phronesis*, X, 97-105.

・ Duerlinger, J., 1969. "Predication and Inherence in Aristotle's *Categories*", *Phronesis*, XIV, 179-203.

・ 有田潤, 1966. 「オンとウーシアの論理」, 『フィロソフィア』, 51, 1-37.

(AKAI, Kiyooki / Universitas  
Hiroshimaensis[Philosophia])